

12.

Gyulafehérvar (Alba Iulia), Batthyaneum, R. I. 118, ff. 272v–276r¹

De sancto Ladislao rege

(1) (f. 272v = CCLXXXIIIv) „**Euge, serve bone et fidelis**” *Mt.* 25, (21). – Videmus, quod ut convenienter boni servi bonis serviunt dominis et (f. 273r = CCLXXXIVr) mali malis. Cuius ratio potest esse illud Sapientis, *Eccli.* 13, (19-20): „Omne animal diligit simile sibi. Omnis caro simili sibi coniungitur, et omnis homo simili sui sociabitur.” Hec ibi. Hinc est, quod proverbialiter dicitur: „Qualis dominus, talis et servus.”² Et Metrista: „Hic est et erit similis similem sibi querit.”³ Constat autem, quod, proh dolor, multi sunt homines, qui spernentes Dominum dominancium et optimum Deum, serviunt dyabolo impletentes voluntatem eiusdem, et in viis eius ambulantes, qui non solum servi dyaboli, sed et efficiuntur servi peccati. *Joh.* 8, (34): „Qui facit peccatum” etc. De hiis conqueritur Dominus, *Isaie* 1, (2 et 4): „Filios enutrii et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos” etc. usque „alienati sunt retrorsum.” Et de hiis, qui renunt servire Deo et serviunt dyabolo, dicit Sapiens, *Proverb.* 1, (24 et 31): „Dicit Dominus: Quia vocavi et renuisitis. Extendi” etc. usque „suis consiliis saturabuntur.” Tales eciam servi dyaboli recipient premium in die iudicii, cum considerabunt, quod male servierunt, et dolebunt, iuxta illud, *Sap.* 5, (6-8 et 9): „Erravimus a via veritatis, et lux iusticie non luxit nobis, et sol intelligencie non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia” etc. usque „transierunt sicut umbra.”

Qui autem spernentes consilium et vocacionem dyaboli Deo fideliter serviunt voluntatem eius perficiendo et mandata eius servando, eternam habebunt mercedem. Iuxta illud, *Sap.* 5, (16-17): „Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitacio eorum apud Altissimum. Ideo accipient [regnum] decoris et diadema speciei de manu Domini, quoniam dextera sua teget eos, et brachio suo defendet illos.” „Hii in paucis vexati, in multis bene disponentur” *Sap.* 3, (5). Talis enim fuit beatus rex Ladislaus, qui spretis suggestionibus dyaboli maluit servire Deo, quam dyabolo. Ideo eciam ab Altissimo premium meruit accipere. Nam perpendens illud *Sap.* 3, (15): „Bonorum laborum gloriosus est fructus”, in multis operibus bonis Domino suo studuit complacere. Unde de eo canit ecclesia: „Domine hic operatus est iusticiam et confirmatus in gratia, et nunc in superno solio, in sanctorum tripudio felici gaudet gaudio.”⁴ Hinc est, quod merito de eo dicit Dominus: „**Euge serve bone**” etc. In quibus verbis duabus commendatur:

primo in serviciae bonitate, (f. 273v = CCLXXXIVv) ibi: „**Euge serve bone**”,
secundo in obsequii fidelitate, ibi: „**et fidelis**”.

(1.1) Quantum ad primum, notandum, quod bonitas servi constituit in tribus.

(1.1.1) Primo in mundicia et honestate. Si enim servus alicuius bonum ferculum in vase immundo et manibus immundis portaret, displiceret domino, quantumcumque nobile et bonum esset ferculum. Sic quicumque servicum aliquod Deo offerre voluerit, sit mundus et immunis a labore peccati mortalis. Nam quantumcumque ministerium bonum vel servicium

¹ Batthyaneum, R. I. 118: sermonarium originis Hungaricae Septentrionalis, saec. XV. – (Madas–Horváth 2008, 164–174.)

² Petronius, *Satyricon*, 58,4.

³ Walter, *Sprichwörter*, 11012.

⁴ Antiphona 7. Officii rhythmici s. Ladislai regis. Josephus Dankó, *Vetus hymnarum Hungariae*, Budapest 1893, 179. (= Dankó).

offerre Deo manibus pollutis mortali peccato non placet Deo teste Apostolo, ad *Titum* 1, (15): „Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nichil mundum, sed inquinate sunt eorum et mens et conscientia.” Et idem ibidem ante verba predicta (1, 7–8): „Oportet enim episcopum esse sine crimine, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem.” *Luce* 1, (74–75): „Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate” etc. Taliter sibi servivit beatus Ladislaus in sanctitate et in mundicia. Nam non superbie, iracundie vicio fuit pollitus, nec percussor, nec turpis lucri cupidus, sed virtutum floribus ornatus. Unde de eo canit ecclesia: „Hunc circumdat veritas et misericordia, osculatur caritas simul cum iusticia.”⁵ Et in *Legenda* dicitur: „Erat enim copiosus in misericordia, longanimis in pacientia, pietate rex serenus, graciarum donis plenus cultor iusticie, patronus iusticie (recte: pudicicie).”⁶

(1.1.2) Secundo bonitas servi constituit in pacientia, ita quod sit paciens ad sustinendum correccionum domini sui verba et aliquando verbera. Nam sicut signum malicie est, quando quis non vult corrigi, sic eciam signum bonitatis est, quando quis suscipit pacienter correcciones. *Proverb.* 15, (12): „Non amat pestilens eum, qui corripit.” Et *Proverb.* 9, (7–9) „Qui arguit impium, generat sibi maculam. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem et diligit te, doce iustum et festinabit accipere.” Signum bonitatis est, qui pacienter sustinet correcciones, tribulationes, quas Deus fieri permittit propter peccata. Talis fuit sanctus Ladislaus, qui pacienter sustinuit omnia, que Deus permisit super eum et populum suum pro peccatis populi sui. Attendebat autem ad illud, quod scribitur *Act.* 14, (21): „Per multas tribulaciones oportet nos intrare ad regnum celorum.” Et illud *Apoc.* 3, (19), quod, ut dicit Deus: „Ego quos amo, arguo et castigo.” Sed proch dolor, iam nostris temporibus pauci sunt servi (f. 274r = CCLXXXVr) et ancille, qui suscipiunt correcciones a dominis vel dominabus suis. Sed si dominus loquitur verbis, ipsi multa plura, et quod peius est, dominos volunt corriger, et non a dominis corrigi, sed quales ipsi nunc sunt suis dominis, tales habebunt servos ipsi, iuxta illud Senece in *Proverbiis*: „Ab alio exspectes, quod alteri feceris.”⁷

(1.1.3) Tercio bonitas servi constituit in obediencia. Ita quod domino sit obediens in omnibus, que suo competunt servicio seu officio. Omnes ergo volentes esse boni servitores Dei, sint obedientes servando mandata et precepta ipsius. *Eccli.* 15, (16): „Si volueris mandata conservare, conservabunt te in perpetuum.” O quam enorme vicium inobedientia, per quam angelus perdidit divinum officium seu celum, Adam paradisum, Saul regnum, Salomon amorem. Obedientia enim operat pacem. Ex quo enim Deo non obedimus, et mandata eius non servamus, ideo pacem non habemus. Audi, quid dicit Dominus per Isaiam, *Isiae* 48, (18–19 et 22): „Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua, et iusticia tua sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum et stirps uteri tui ut lapilli eius, non interisset, et non fuisset attritum nomen eius a facie mea. Non est pax impiis, dicit Dominus.” Hec ibi. Si autem teneremus obedienciam perficiendo mandata eius, sine dubio Dominus nos exaudiret, et pacem tribueret. Nam querat homo consilium, quomodo vult, congreget exercitum, et faciat, quid vult, nisi Deus dederit pacem, nequaquam habebimus. *Isiae* 45, (6–7): „Ego dominus et non est alter formans lucem et creans tenebras, faciens pacem.” *Deutero.* XXXII, (39): „Videte, quod ego sum solus, et non sit aliis deus preter me. Ego occidam et ego vivere faciam, percuciam et ego sanabo, et non est, qui de manu mea posset eruere.” Ergo sine dubio ipse solus est, qui nobis potest dare pacem, ut testatur sancta noster ecclesia dicens: „Da pacem Domine in diebus nostris, quia” etc.⁸ Ad ipsum ergo habemus

⁵ Responsorium 5. Officii rhythmici s. Ladislai regis. Dankó 179.

⁶ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 9–11.

⁷ Seneca, *Epistulae*, 94, 43. = Publilius Syrus, *Sententiae*, 2.

⁸ Antiphona de Machabaeis, cf. CAO III, 2090. Continuatio antiphonae: „quia non est alius, qui pugnet pro

refugium, non confidamus in consiliis nostris vel potencia nostra aut multitudine. „Nam non exercitus in multitudine belli victoria est, sed fortitudo de celo est” I Mach 3, (19). Taliter fecit sanctus Ladislaus, qui in omnibus mandatis Deo obedivit, non in se vel in populo suo confidens, sed in Deo. Unde eciam victoram contra inimicos, scilicet paganos obtinuit. Sed proh dolor, iam obediencia parum curatur tam inter spirituales, quam seculares. Milites et alii nobiles non obediunt regibus, cives iudicibus, sed quilibet sue opinionis est et estimacionis. (f. 274v = CCLXXXVv) Iam servi et ancille minime obediunt dominis. Si enim dominus iubet hoc fieri, ipsi aliud faciunt, non opera secundum voluntatem domini, sed secundum eorum beneplacitum perficiunt. Nichilominus precium eorum integerrime habere volunt, non curantes quomodo meruerint etc.

(1.2) Dixi, secundo commendatur beatus Ladislaus in obsequii fidelitate. Unde notandum, quod felicitas servi precipue constitit in tribus:

- primo in bonorum dispensacione,
- secundo in bonorum conservacione,
- tercio in bonorum multiplicacione.

(1.2.1) Primo, dixi, in bonorum seu rerum dispensacione. Ita, quod servus fideliter accepta a domino dispensem, non inutiliter dispendet aut anichilet, det, quibus debet et quando debet secundum commissionem domini sui. Talis servus fuit beatus Ladislaus, qui bona a Deo sibi commissa fideliter dispensavit. Primo quinque sensus corporis sui ad laudem Dei rexit. Demum secundum intellectum sibi a Deo collatum regnum fideliter gubernavit, populum suum ad iusticiam faciendam ammonuit, pauperibus eciam largissime elemosinas tribuit. Unde de eo canitur: „Afflictorum portans onus et ad omne pium pronus.”⁹ Et in *Legenda* dicitur: „Consolator afflictorum et sublevator oppressorum, miserator [orphanorum], pius pater pupillorum, miserorum et inopum necessitatibus misericordie visceribus subveniebat.”¹⁰ „Unde omnes ecclesie et monasteria regalia eleemosinis eius sunt locupletata, duos quoque episcopatus ordinavit et regia largitate locupletavit.”¹¹ Ecce fideliter bona Domini dispensavit. Sed Apostolus dicit, I Cor. 4, (2) „Hic iam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.” Sed timendum est, et proch dolor, verius est, quod pauci nunc sunt fideles dispensatores dominorum suorum, pauci eciam fideles servi dominis suis. Iam quilibet querit commodum suum, quomodo sibi in dispensacione acquirere possit amicos de mammona iniquitatis, dando illis, quibus non debet dare, et abstrahendo hiis, quibus esset dandum. Sed timeant tales, ne dicetur illis in diebus novissimis: „Redde rationem villicacionis tue” (Lc 16, 2), et non potentes rationem dare, mittentur in carceres perpetuos.

(1.2.2) Secundo fidelitas servi constitit in domini sui rerum vel bonorum conservacione. Nam fidelis servus tenetur bona domini sui conservare et custodire. Ita quod non destruantur et non subtrahantur. Talis fuit sanctus Ladislaus, qui populum (f. 275r = CCLXXXVIr) suum sibi commissum a Domino secundum possibilitatem suam diligentissime conservavit viriliter repellendo vastatores sue provincie et regni sibi a Domino Deo collati. Sic et animam suam a Deo sibi commisam in virtutibus custodivit, ne ab hostibus bonis spiritualibus spoliaretur, et eam mundam et virtutibus plenam Domino suo reddidit. Sic simili modo quilibet Christianus animam suam, que est templum Dei, custodire debet, ne in ea habitat diabolus per peccatum. Quia qui castrum domini sibi commissum sine licencia domini hostibus traderet, infidelis esset et reus mortis. Sic qui animam suam, in qua Deus habitare debet per suam gloriam, tradit per peccatum ipsi dyabolo, est infidelis et dignus morte. Quia „stipendia peccati mors”, ut dicit Apostolus ad Rom. 6, (23). Sed proch dolor, iam servi non solum Deo infideles sunt,

nobis, nisi tu, Deus noster.”

⁹ Versus in Vesperis Officii rhythmici s. Ladislai regis. Dankó 174

¹⁰ Legenda s. Ladislai, SRH II, 517, 11–14.

¹¹ Legenda s. Ladislai, SRH II, 519, 9–13.

sed et dominis temporalibus, quorum bona ab eisdem custodire data sunt, non solum non conservant et ab aliis custodiunt, sed ipsimet furantur et aliis tribuunt, non curantes facere contra mandatum Dei, cum tamen nec elemosynam facere habent servi de bonis dominorum sine eorum voluntate, a maiori aliquid leccatoribus vel leccatricibus dare. Sciant tales, quod „peccatum eis non dimittitur, nisi ablatum restituatur”, ut dicit Augustinus et *De regulis iuris*, li. 6.¹²

(1.2.3.) Tertio fidelitas servi constituit in domini sui bonorum multiplicacione. Nam fidelis servus est, qui laboribus suis aut negotiis domini sui [bona] multiplicat, et non minuit. Talis fuit beatus Ladislaus, qui bona Domini Dei sui videlicet tam spiritualium, quam secularium secundum suam possibilitatem augmentavit. Nam monasteria spiritualium ab aliis fundata elemosinis dotavit, et cultum divinum augmentavit.

Non sicut nunc per negligenciam principum et dominorum secularium cultus divinus diminuitur. Nam ubi quondam horas canonicas ad laudem Dei decantaverunt, ibi nunc clientes ad laudem dyaboli vanitates canunt et dictant nequicias. Ubi quondam tractabatur de salute animarum, ibi nunc tractatur de periculo et dampnacione earumdem. Ubi quondam monachi et Dei servitores, ibi nunc vispiliones et raptiores. Ubi quondam monasterium, ibi nunc fortalicium, de domibus Dei nunc facte sunt [...] et spoliationes et ut spelunce ipsorum latronum. (f. 275v = CCLXXXVIIr) De quibus omnibus dabunt rationem omnes principes seculares, qui ecclesiam deberent defendere et non faciunt, et in vanum a rusticis questum recipiunt et census. Et quod peius est, non solum principes et nobiles non obstant latronibus, aut subditos non defendunt, sed soli ipsi tirannidem in suos ostendunt, et socii latronum existunt et complices. Ita quod iam impletur illud *Isiae* 1, (21–23): „Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iusticia habitavit in ea, nunc autem homicide. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retribuciones. Pupillo non iudicant, et causa vidue non ingreditur ad eos.” Hec omnia *Isiae* 1. Et *Ezech.* 22, (27): „Principes eius in medio eius, lupi rapientes predam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas.”

Eciam, karissimi, nunc non inveniuntur multi servi fideles, qui bona dominorum suorum multiplicant, sed magis minorant non laborantes fideliter dominis bona anichilantes. Unde bene dicitur *Proverb.* 20, (6): „Virum autem fidelem quis inveniet.” Iam enim non solum inter servum et dominum est infidelitas, sed eciam inter virum et uxorem, inter amicum et amicum, inter patrem et filium, inter fratrem et fratrem. Coniunges enim, proch dolor, fidem matrimonii violent adulterando, bona eorum inequaliter consummendo. Vir interdum pane et ferculis aliis saturatur, et vino potuque inebriatur, uxor vero fame et siti quassatur, et e converso. Quidquid uxor acquirit, vir in taberna consumit. Inter amicos autem tamdiu durat amicicia, quamdiu fortuna et pecunia. Deficiente pecunia defudit et amicicia. Unde Innocentis III *De vilitate humane condicionis*: „Cum fueris felix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris.”¹³ Iam non sunt ita fideles amici, sicut fuerunt Samon et Pitras,¹⁴ de quibus recitat Valerius, lib. 4, c.7: „Quod tam fidelem inter se amiciam contraxerunt, ut cum alterum ex hiis Dionysius interficere vellet, atque ille tempus ab eo [quo], priusquam periret, domum profectus res suas ordinaret, impetrasset. Alter obsidem se tiranno pro reditu alterius dare non dubitavit, mortique caput suum subiecerat, cui vivere licebat. Appropinquante igitur die (f. 276r = CCLXXXVIIr) statuta nec illo redeunte, unusquisque stultissime tam temerarium sponsorem dampnabat. Cui Dyonisius: Fatue obligasti. Cui ille: Ymmo sapienter, quia malo mori pro amico, quam vivere sine amico. Eodem autem momento et hora statutis a Dyonisio sentencia super illum datur. Et cum duceretur ad decollandum, alter supervenit, et ad locum cucurrit dicens: Ego debedo mori et non tu. Que quidem res adducta ad Dyonisium,

¹² Bonifacius VIII, *Liber Sextus*, Regula iuris, 4.

¹³ Ovidius, *Tristia*, 1, 9, 5–6.

¹⁴ Apud Valerium Maximum nomina: Damon et Phintias.

miratus amborum fidem eis pepercit mortem. Insuper eos rogavit, ut se in societatem amicicie eorum tertium reciperent.¹⁵ Si ergo Dyonisius pepercit istis mortem propter eorum amiciciam et fidelitatem, quanto magis Deus nobis parcet mortem eternam, si invicem diligemus et fidelitatem tenebimus, ut sanctus Ladislaus cum suo populo, ut patet in *Legenda*.

¹⁵ Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, lib. 4, c. 7.